modo, etiam natura brutorum. Iter enim faciens
iuxta civitatem senensem invenit in pascuis mag
num ovium gregem. Quas cum benigne ut erat so
litus salutasset, relicto pastu cucurrerunt omnes
ad eum, levantesque capita sua, erectis in eum lumi
nibus intendebant. Tantum quidem ei fecerunt applausum,
ut et pastores mirarentur et fratres, cernentes
circa ipsum tam ovium agnos quam ipsos arietes,
sic mirabiliter exultantes. Alio quoque tempore.
apud sanctam Mariam de portiuncula quedam ovis vi
ro dei fuit oblata, quam ipse pro innocentie ac
simplicitatis amore quas ovis natura preten
dit, gratanter suscepit. Monebat vir pius
oviculam, ut et laudibus divinis intenderet, et ab
omni fratrum offensa caveret. Ovis autem quasi
viri dei pietatem adverteret, informationem ipsius
sollicite observabat. Nam audiens fratres in choro
cantare, et ipsa ecclesiam ingrediens, sine alicuius
informatione flectebat genua, vocem balatus
emittens ante altare virginis matris agni.
ac si eam salutare gestiret. Insuper cum eleva
retur sacratissimum Christi corpus inter missarum